



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Quæstio Unica. De Essentia, & Proprietatibus Gratiæ Sanctificantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

nec dici potest, verba à contextu abstracta du-
riorem facere sensum, quàm in libro ipso, &
suis adjunctis vestita, facerent; nam non est ne-
xus inter se earum Reflexionum, sed pro va-
rietate sacrorum textuum, additæ sunt variæ, di-
sparatæ, & nullo modo cohærentes reflexio-
nes. Quæri fors hîc posset, quem sensum
habeant censuræ propositionum, quandoqui-
dem aliquæ dicuntur hæreticæ, aliæ hæresi pro-
ximæ, aliæ piarum aurium offensivæ, scanda-
losæ, captiosæ &c. sed quia explicatio hæc spe-
ctat ad tractatum de fide, hac de re eo loco age-
mus.

Post hæc jam sibi locum postularent quæ-
stiones de gratia efficaci, eiusque concordia
cum libero arbitrio: at quia Paulus V. Ponti-
fex Summus anno 1607. vetuit, hac de materia
quidquam typis vulgari, obedienter abstine-
mus. Qui hac de re solidè instrui cupit, ad-
eat Suarezium, cujus tres tomi de gratia cum
licentia S. Sedis sunt editi. Ego interim hîc re-
peto, quod Bellarminus de ascensione mentis in
DEUM gradu 4. c. 1. ad eundem DEUM su-
spirans scripsit: *Malo experiri, quàm scruta-
ri efficaciam gratiæ tuæ.*

DISPUTATIO II.

De Gratia Habituali Sanctificante.

261. **O**Viedo tract. 8. de justificatione
controv. 1. punct. 1. n. 2. re-
vocat omnes errores Luthe-
ranorum circa gratiam sanctificantem (quæ est
justificatio nostra) ad quinque. 1. justificatio-
nem stare in sola remissione peccatorum, &
non esse justitiam aliquam positivam, 2. ju-
stitiam esse quidem formam positivam, sed no-
bis extrinsecam, scilicet esse vel justitiam,
qua ipse DEUS justus est, vel esse merita Chri-
sti, aut alium favorem extrinsecum Divinæ vo-
luntatis. 3. justitiam esse qualitatem intrinse-
cam quidem, & inhærentem, sed imperfectam,
quæ ad justificandum indigeat adhuc aliquo alio
extrinseco (tanquam forma simul justificante) 4.
justitiam stare in sola fide. 5. justitiam,
quæcunque sit, non verè remittere, sed tan-
tum tegere peccata. Videri hæc possunt fu-
sius deducta, & in plures divisiones distribu-
ta apud Bellarm. tom. 4. contr. 3. generali. contr.
2. princip. l. 2. c. 1.

262. Catholicum dogma est, justifica-
tionem nostram esse formam intrinsecam, seu
esse gratiam sanctificantem, inhærentem ho-
mini, distinctam à fide, remittentem verè, seu
destruentem peccata, & non tantum ea tege-
tem: sic definit Tridentinum sess. 6. c. 7. his
verbis: *Hanc dispositionem, seu preparationem,
justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola pec-
catorum remissio, sed & sanctificatio, & renova-
tio interioris hominis, per voluntariam susceptionem
gratiæ, & donorum: & paulò inferiùs: Demum uni-
ca formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est,
sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati,
renovamur spiritu mentis nostræ: & non modò re-
putamur, sed verè justii nominamur, & sumus,
justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam:
& post pauca. Quamquam enim nemo possit esse*

*justus, nisi cui merita passionis Domini nostri JESU
Christi communicantur, id tamen in hac impii justifica-
tione sit, dum ejusdem sanctissimæ passionis meri-
to, per Spiritum S. charitas DEI diffunditur in
cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsi in-
heret. Unde in ipsa justificatione cum remissione
peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo,
per JESUM Christum, cui inferitur &c. quibus
verbis omnes errores superiores damnantur, ut
constabit cuique attentè hæc expendenti, nec
opus est longiore explicatione: & hinc omi-
fis controversiis polemicis, ad magis scholasti-
cas gradum facimus.*

QUÆSTIO UNICA.

De Essentia, & Proprietatibus Gra- tiæ Sanctificantis.

ARTICULUS I.

Quid sit gratia sanctificans, & an sit identificata cum habitu charitatis.

263. **G**Ratiam sanctificantem esse quæ
si naturam in ordine superno,
exigentem, tanquam suas pro-
prietates, habitus supernaturales, qui sunt quæ-
si potentia ipsius, est communior Theolo-
gorum sententia; quia regeneratio illa, qua
per baptismum (vel suo modo per poenitentiam)
renascimur in Christo, nihil est aliud, quàm
justificatio in baptismo, vel etiam in poeni-
tentia nobis collata: quæ justificatio ex Triden-
tino sess. 6. c. 7. non est sola peccatorum remissio,
sed & sanctificatio, & renovatio interioris homi-
nis, per voluntariam susceptionem gratiæ & do-
norum. Quare præter gratiam sanctificantem,
quæ scilicet est sanctificatio, etiam conferun-
tur alia dona, de quibus infra cit. cap. Tridentini
sic dicitur. *Unde in ipsa justificatione cum re-
missione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit
homo per JESUM Christum, cui inferitur, fidem,
spem, & charitatem.* Scilicet, ut generatio in
ordine naturali affert nobis naturam, exigen-
tem potentias, & proprietates naturales, ita
generatio spiritualis affert nobis quasi naturam,
exigentem proprietates, & potentias superna-
turales, nempe gratiam. Dicitur autem gratia
quasi natura; nam cum habitus non recipian-
tur in gratia, neque ipsa eos petat sibi, sed ani-
mæ, in qua recipiuntur, neque etiam gratia
denominet se ipsam filiam DEI, sed tantum ho-
minem, inde non est strictè natura.

264. Rursus hæc gratia sanctificans com-
munissimè dicitur esse participatio Divinæ natu-
ræ, ideo, ut exponit Suarez. P. 3. de grat. l. 7. c. 1.
n. 30. quòd, cum natura Divina sit quædam
intellectualis, seu intellectiva natura altioris
ordinis, quàm possit esse ulla substantia
intellectualis creata, ille gradus intellectivita-
tis, qui est in Divina natura, Divino, & super-
naturali quodam modo, participatur per habi-
tualem gratiam, ita, ut à nulla substantia creata
per se ipsam, vel per potentiam sibi connatu-
ralem, ita participari possit. Sic Divina na-
tura

gratia est in ratione objecti, in se, & per visionem intuitivam intelligibilis, adeo elevata, & excellens, ut ratione purissimæ actualitatis, & immaterialitatis suæ, seu ratione supremæ perfectionis suæ, à nulla substantia creata intellectuali possit connaturaliter per visionem intuitivam attingi, sed tantum à se ipsa, seu potentia intellectiva Divina.

At verò per gratiam sanctificantem natura creata intellectualis elevatur (seu formaliter, & immediatè, seu radicaliter, & mediatè, per lumen gloriæ, quod gratia sanctificans causat) ad participationem illius gradus intellectivitatis Divinæ, ut possit objectum illud, ex se tantum à Divino intellectu per visionem intuitivam attingibile, ipsa quoque per visionem intuitivam cognoscere: ex quo per se dein sequitur, quod DEUM etiam possit amore altioris ordinis amare. Et hæc participatio naturæ Divinæ, ut ibidem n. 32. tradit Eximius, est sufficiens proportio in natura, ut possit inter DEUM, & hominem, dari vera amicitia: nec est expetenda major proportio; tum quia æqualitas impossibilis est; tum quia non requiritur ad amicitiam æqualitas absoluta. Hinc sufficit, quod pura creatura dicto modo particeps Divinam naturam, quoad modum intelligendi, & amandi DEUM, ipsi DEO proprium, in eodem ordine, ac gradu connaturali, quantum fieri potest; nam ex hoc quasi consortio, naturæ Divinæ, & creatæ, maxime per visionem, & amorem, oritur consortium amicabile, & fit homo dignum objectum amoris amicitiae apud DEUM, adeoque amicus DEI.

265. Ulterius hæc gratia non est substantia, sed accidens; nam ex Tridentino citato n. 262. est causa formalis, id est, forma, & quidem in nobis suscepta, aut recepta: non autem datur in nobis forma substantialis præter animam, & fortè unionem, quæ est substantia ibi quo. Neque gratia est qualitas transiens, sed inhaerens; unde dicitur habitualis. Eam autem esse inhaerentem desumitur ex Clementina de summa Trinitate, & fide Catholica. ubi Concilium Viennense sententiam Doctorum asserentium, parvulis infundi gratiam sanctificantem saltem quoad habitum, tanquam probabiliorē amplectitur. Catechismus autem Tridentini titulo de baptismo §. de eximii baptismi fructibus mibi n. 38. ait. Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum, pœnā anathematis propositā, decrevit, non solum, per quam peccatorum fit remissio, sed Divina qualitas in anima inhaerens: quare de hoc dubitari non potest. Sed quaeritur jam ulterius, an gratia habitualis sit realiter distincta ab habitu charitatis, quia in re utrinque stant graves Theologi.

266. Dico. Gratia sanctificans probabiliter distinguitur realiter ab habitu charitatis. ita Suarez, Haunoldus, Gormaz, & plurimi gravissimi Theologi: quanquam etiam in oppositum stent valde graves: ait tamen Suarez l. 6. de gratia c. 12. n. 1. nostram sententiam à pluribus, & gravioribus defendi: quibus accedit S. Thomas. 1. 2. q. 110. a. 3. in corp. ubi sententiam hanc probans, docet, gratiam sanctificantem esse quasi naturam virtutum infusa-

rum, sicut lumen rationis est quasi natura virtutum acquisitarum: & ait, quod, sicut virtutes naturales distinguuntur à natura, & à lumine rationis, ita etiam virtutes supernaturales distinguuntur à quasi natura, seu gratia: & quod, sicut in ordine naturali natura præsupponitur ad virtutes naturales, ita gratia præsupponatur ad virtutes supernaturales. Idem tradit S. Doctor. q. 27. de veritate a. 2. & in hujus S. Doctoris reverentiam hanc præ opposita sententia etiam amplector.

Prob. 1. Concilia sæpissimè agunt de gratia, & charitate, tanquam de duobus distinctis: imò sæpe istas, tanquam duas enumerant, quando enumerant etiam alia ut plura, de quibus certum est, ea realiter distinguuntur: ergo probabiliter dicitur, eas esse realiter distinctas. prob. ant. Inprimis Concilium Viennense, ut refertur in Clementina de summa Trinitate, & fide Catholica, saltem tanquam probabilior dicit, quod parvulis infundatur gratia, & virtutes: ergo, ut arguit Suarez, cum Concilium indefinite loquatur, & gratiam contraponat omnibus virtutibus, insinuat, eam esse distinctam ab omnibus virtutibus: adeoque etiam à charitate. Rursus Concilium Tridentinum sess. 6. c. 7. ita habet: In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per IESUM Christum, cui inseritur, fides, spes, & charitatem: ergo justificatio, sive gratia, sicut est distincta realiter à remissione peccatorum, fide, & spe, ita etiam à charitate.

Pariter Concilium Moguntinum, habitum durante, vel suspenso Tridentino, cap. 7. inter capitula ad fidem spectantia ait: Cum venia peccatorum homo etiam DEI gratiam, & per Spiritum S. unā cum fide simul charitatem in corde diffusam, ac spem accipit: ubi iterum loquitur de gratia, eique tanquam distinctæ annectit charitatem, non minus, quam fidem: ergo verisimile est, Concilium agnovisse distinctionem realem. Catechismus etiam Tridentini de baptismo, loc. cit. n. 265. ait, gratiam infundi, quæ sit splendor quidam, & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores, & splendidiore reddat: ergo non censet, eam strictè esse habitum, cuius saltem primarium officium non est, esse lucem, & splendorem, sed esse effectivum actuum superiorum: & paucis interjectis ait: Huic autem gratiæ additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur: ergo gratiam iterum ab his omnibus, adeoque etiam à charitate agnoscit distinctam.

267. Confir. 1. In sacris Scripturis sæpè de gratia, & charitate, tanquam de duabus entitatibus est sermo: ergo, prob. ant. 2. ad Cor. 13. v. 13. sic scribit S. Paulus. Gratia Domini nostri JESU Christi, & charitas DEI, & communicatio S. Spiritus, sit cum omnibus vobis. Equidem Esparza dicit, intelligi charitatem actualem: sed sic etiam intelligi posset gratia actualis, quam tamen nec ipse intelligi vult. Sic etiam idem S. Apostolus scribit ad Ephes. 6. v. 23. Pax fratribus, & charitas cum fide, à DEO Patre, & Domino JESU Christo: gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum JESUM Christum.

Confir. 2. Aliæ omnes virtutes distinguuntur à gratia,

à gratia, licet omnes virtutes morales in hac providentia, à gratia sint inseparabiles: ergo probabiliter etiam charitas; quia nullam adversarii rationem pro identitate hujus afferunt, quæ sit majoris momenti, quàm inseparabilitas.

Id tamen huc facile admitto cum Gormaz *n. 9. de gratia sanctificante*, justificationem, saltem integraliter sumptam, involvere pro constitutivis non tantum charitatem, sed etiam alias virtutes, adeoque justificationem non adæquatè distingui ab habitu charitatis, bene autem gratiam: quod etiam tenet Eximius. *l. 7. de gratia. c. 9. maxime n. 20.* nam justificatio integraliter sumpta est *renovatio interioris hominis*, fitque per *voluntariam receptionem gratiæ, & donorum*, hoc est, virtutum, ut asserit Tridentinum *sess. 6. c. 7.* Neque obest huic asserto, quod fides, & spes, possint manere sine gratia, & justificatione; quia calor etiam potest manere sine igne, licet sit aliqua proprietas ignis. Accedit, quod fides, & spes non recipiantur in gratia, tanquam subiecto, sed in anima: neque recipiantur in justificatione; cum hæc sit complexum ex remissione peccatorum, gratiæ, & donis virtutum, ex quibus, ut patet consideranti, nihil est subiectum fidei, aut spei &c.

268. Ut autem argumenta adversa facilius articulo sequenti solvamus, noto 1. ex Gormaz. *de grat. u. 13.* vocem *charitas* triplicem apud SS. Patres, Concilia, & Scripturas, habere significationem. Primò hæc vox significat dona ex charitate collata, seu effectus charitatis: & sic Itali, ac Galli, *elemosynam* vocant charitatem: quin & Germani quoque, dum rogant, sibi exhiberi aliquod obsequium, vel favorem, rogant, exhiberi sibi charitatem: sic autem etiam ipsa gratia sanctificans vocatur charitas, non creata, sed Divina, quatenus est donum ex charitate, qua DEUS nos amat, profectum: & hac ratione explicatur illud, *1. Joan. 3. v. 1. Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii DEI nominemur, & simus*: hoc est, qualem gratiam sanctificantem, quæ est donum, seu effectus charitatis Divinæ.

Secundò significat vox *charitas* habitum virtutis, elicitivum actuum amoris DEI super omnia: & in hoc sensu loquitur Apostolus ad *Rom. 5. v. 5. Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*: item *2. Cor. 13. v. 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* & S. Aug. *l. de spir. & liter. c. 32. Charitas quippe DEI dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos.* Tertiò significat hæc vox personam, quæ diligit, & ex dilectione sua dona communicat: sic *1. Joan. 4. v. 16. dicitur: DEUS charitas est*: sicut alibi etiam DEUS dicitur fortitudo nostra, patientia nostra, & similia.

269. Noto 2. quamvis munia gratiæ sanctificantis tribuantur aliquando habituali charitati, non tamen sequi, eas esse identificatas; nam ad has, vel similes denominationes, sufficit, quod habitus charitatis speciali modo concurrat ad munia gratiæ, seu ad faciendum filium adoptivum DEI, ejusque amicum; & sic

in Scriptura tribuitur justificatio etiam fidei, & spei; nam ad *Rom. 4. v. 5. dicitur: Credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam*: & ad *Rom. 1. v. 17. Justus autem ex fide vivit.* & ad *Rom. 8. v. 24. Spe enim salvi facti sumus.* Imò *Tib. 4. v. 11. dicitur: Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat*: quin isti habitus, seu virtutes, sint gratia sanctificans, si-ve forma expellens peccatum. Quare, licet habitui charitatis attribuat aliquando in Scripturis justificatio, non sequitur, quod cum gratia sanctificante, quæ est inter primaria constitutiva justificationis, identificatus sit: sed tantum, quod ad eam infundendam specialiter concurrat.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones contra hucusque dicta.

270. **O**B. 1. ex hæreticis. Gratia, quæ nos justificat, vocatur ad *Rom. 3. v. 22. justitia*

DEI: & *1. Cor. 1. v. 30. dicitur Christus justitia nostra*: ergo est tantum forma extrinseca. Confir. Justificatio non est vera remissio, sed tantum restio, vel occultatio peccatorum: ergo non est forma intrinseca delens peccatum, prob. antec. ex illo *Psal. 31. v. 1. Beati, quorum remisse sunt iniquitates, & quorum testa sunt peccata*: ergo. Resp. neg. conf. Per justitiam DEI, ut habet Tridentinum citatum *n. 262.* non intelligitur justitia, qua DEUS justus est, sed qua nos justos facit, quasi diceretur: *Justificatio est gratia DEI.* Christus quoque non est formalis justificatio nostra, sed causalis, sicut scilicet dicitur DEUS fortitudo, & patientia nostra. Ad confir. neg. ant. ad prob. neg. conf. Peccata regi quidem possunt coram hominibus, at non coram DEO, nisi sint destructa; unde regi coram DEO (de quo agitur in eo psalmo) idem est, ac destrui. Pariter DEUM non imputare peccatum, est, destrui illud; quia DEUS non potest reputare innocentem, qui revera adhuc nocens est; hoc enim tantum possunt judices mali creati. Et sic quoque exponi debet illud *Ezechiel. 33. v. 16. Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei.*

271. Ob. 2. S. Paulus ad *Rom. 5. v. 19. comparat Christum, & Adamum*, atque, per hujus inobedientiam multos peccatores, per illius obedientiam plures constitutos fuisse justos: ergo, sicut peccatum originale est ipsum peccatum Adami, ita justificatio nostra est justitia Christi, vel hujus merita. Resp. neg. conf. Aliud est similitudo, aliud identitas; unde non debent similia convenire in omnibus pradicatis: igitur sufficit, quod peccatum Adami nos inquinet, & peccatores faciat: & Christi gratia, vel sanguis, aut merita, nos emundent, ac justos faciant: quamquam merita Christi tantum causaliter nosificent, Adami verò peccatum formaliter nos inquinet, tanquam pars peccati originalis, quod est forma nos maculans. Vide de hoc etiam tractatum de peccatis. *n. 287.*

272. Ob. 3. Gratia non est effectiva: ergo non est habitus: ergo non est habitualis, seu permanens qualitas. conf. probat. omnis habitus est productivus, vel effectivus alicujus actus: ergo, si gratia non est effectiva, non est habitus. Resp. antecedens esse dubium; Suarez enim l. 6. de gratia c. 13. n. 14. putat, etiam gratiam sanctificantem influere in actus, sicut, ait, anima (quam distinctam à potentiis supponit) influit cum potentiis in suos actus. Alii volunt, gratiam producere physicè habitus: ex quo tamen non sequitur, eam etiam influere immediate in actus; neque enim causa causæ est semper causa physica causati, ut patet in causis producentibus potentias vitales. Alii econtra volunt, gratiam tantum moraliter producere, five exigere habitus. Gormaz. n. 23. de gratia ait, gratiam esse principium habituum, seu radicem; an autem sit physica, vel moralis, non explicat. In forma. om. ant. & i. conf. neg. 2dam; nam, licet fors gratia non sit habitus strictè dictus, tamen est habitualis, hoc est, instar habitus permanens; cum enim sit radix exigitiva potentiarum, & actuum, & quasi natura, non est tantum aliquid transiens, sed stabile. Quamvis autem illa ratione non probaretur sufficienter permanentia gratiæ, tamen probaretur sufficienter ratione adducta n. 265. & communissima autoritate.

273. Ob. 4. contra conclusionem. n. 266. statutam. Nulla est necessitas multiplicandi entia, & distinguendi gratiam à charitate: ergo sunt identificata. Confir. 1. Anima non distinguitur à potentiis, licet sit natura: ergo neque gratia à charitate. Confir. 2. Gratia, & charitas sunt mutuo inseparabiles: ergo sunt identificata. Resp. neg. antec. Necessitatem distinguendi gratiam & charitatem, probant nostræ rationes, quæ, quamvis non sint certæ, sunt tamen tales, ut probabilem assensum mereantur. Ad 1. confir. Argumentum nimium probat, scilicet gratiam, nec à fide, nec ab ulla virtute adequatè distingui, sicut anima à nulla potentia, etiam sensitiva, adequatè distinguitur, & ab intellectu, voluntate, & memoria, nec inadæquatè, in forma. neg. conf. disparitas est; quia nulla ratio suadet illam distinctionem: at aliquæ suadent istam: dein potentiæ illæ realiter etiam natura sunt; non autem virtutes censentur esse illa quasi natura in ordine superno.

Ad 2. confir. retorq. argumentum in virtutibus moralibus infusus, quæ etiam sunt inseparabiles à gratia. Unde Resp. 1. om. ant. neg. conf. ob nostras rationes. Resp. 2. distin. ant. gratia, & charitas, sunt inseparabiles metaphysicè, seu de absoluta etiam potentia, neg. ant. physicè, vel tantum in hac providentia, vi decreti præsentis. conc. ant. & neg. conf. ita Suarez l. 6. de gratia c. 13. n. 17. § 18. ubi ait, posse DEUM infundere gratiam sine habitu charitatis, quo casu homo esset filius DEI, & posset mereri de condigno, modò DEUS, per omnipotentiam extrinsecè applicatam, suppleret concursum habitus. Idem ait, posse vicissim DEUM infundere charitatem sine gratia, quo casu ait, non posse hominem mereri de condigno vitam æternam; cum non esset filius DEI, consequenter non haberet sufficientem

dignitatem: nec ei etiam deberetur vita æterna, tanquam hæreditas.

274. Ob. 5. Scriptura sæpe effectus formales gratiæ tribuit charitati: ergo sunt realiter identificata. ant. prob. 1. Joannis. 3. v. 1. dicitur charitas nos reddere filios DEI: Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii DEI nominemur, & simus, & c. 4. v. 7. Qui diligit, ex DEO natus est. 2. ibidem v. 16. dicitur charitas nos unire DEO: Qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo. 3. Prov. 8. v. 17. dicitur charitas reddere nos amicos DEI: Ego diligentes me diligo. 4. Charitati tribuitur deletio peccatorum. 1. Petr. 4. v. 8. Charitas operit multitudinem peccatorum: & Luc. 7. v. 47. Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum: hi sunt effectus gratiæ: ergo.

Resp. dist. ante. Scriptura tribuit effectus gratiæ charitati, in sensu proprio acceptæ, & quidem tanquam causæ formali. neg. ant. in sensu latiore, vel tropico acceptæ, & duntaxat ut causæ efficienti. conc. ant. & neg. conf. vide dicta n. 269. Textus in probatione allatos expono. In primo per charitatem non intelligitur habitus charitatis, sed ipsamet gratia sanctificans, quæ est effectus charitatis Divinæ, seu donum DEI, ut explicatum. n. 268. ex textu autem ibidem statim subjuncto, non potest inferri, nos per charitatem formaliter nasci, & fieri filios DEI, sed tantum, charitatem esse signum præsentis gratiæ, vel justificationis, quæ est formalis regeneratio. Idem, & non plus, probat textus secundo loco adductus, scilicet, charitatem esse signum amicitie stabilis cum DEO, quæ stat in gratia. Potest etiam probabiliter dici, quòd tantum ibi intelligatur qualiscunque unio cum DEO, sicut quælibet virtus Theologica dicitur potentiam unire cum DEO: quo supposito unio illa non erit effectus soli gratiæ proprius. Textus tertio loco adductus, potius loquitur de actu charitatis, quàm de habitu, & tantum probat, charitatem, seu actum ejus, esse causam aliquam, vel meritum reciproce dilectionis Divinæ: non tamen esse ipsam amicitiam. Quartus tantum probat, charitatem concurrere, tanquam causam physicam, aut moralem, ad deletionem peccatorum, non verò tanquam causam formalem: sic autem etiam fides dicitur justificare, & elemosyna à peccato liberare, ut dictum. n. 269.

275. Ob. 6. Aliis adhuc locis Scriptura insinuat identitatem istorum habituum: ergo. prob. 1. privatio gratiæ est mors animæ: sed etiam privatio charitatis est mors ejusdè ex illo 1. Joan. 3. v. 14. Qui non diligit, manet in morte: ergo. 2. Gratia est præcipuum donum DEI: sed hoc est etiam charitas; hæc enim ad Coloss. 3. v. 14. dicitur vinculum perfectionis, & 1. Cor. 13. v. 2. dicitur: Si . . . charitatem non habuero, nihil sum, . . . nihil mihi prodest: ergo. Resp. neg. ant. ad 1. prob. dist. mi. privatio charitatis est mors animæ tantum causaliter, quatenus inducit privationem gratiæ, sicut etiam privatio fidei, aut spei. conc. min. est mors animæ formaliter. neg. min. & conf. privatio autem gratiæ est in suo sensu formalis mors animæ, vel, si esset etiam tantum causalis mors (cum ejusdem rei possint

possint plures esse causæ, propiores, remotiores &c.) non esset eadem causa cum priore. Ad 2. prob. & textus in ea adductos. Resp. ad 1. charitatem esse tantum præcipuam inter virtutes, de quibus ibi Apostolus loquitur: at esse inferiorem gratia sanctificante, ut ait Gormaz. de grat. n. 27. & Suarez. l. 6. de gratia c. 13. n. 8. quia, ut ait, natura perfectior est, quam ejus proprietates. Ad 2. repono, utique sine charitate in hac providentia, (de qua S. Paulus loquitur) nil prodesse; quia non datur gratia sine charitate; si autem in alia providentia daretur gratia sine charitate, utique prodesset.

276. Ob. 7. Gratia dicitur à nobis radix omnium virtutum: sed talis radix est etiam charitas. ergo. prob. min. 1. Cor. 13. v. 4. dicitur: *Charitas patiens est, benigna est &c.* ubi enumerantur plures aliarum virtutum actus: ergo. Confir. Gratia facit nos sanctos, & immaculatos: tales nos facit etiam charitas: ergo. prob. min. ad Ephes. 1. v. 4. sic dicitur: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus, in charitate.* Resp. neg. min. licet tam gratia, quam charitas sint aliquo modo radix virtutum, tamen sunt in diverso genere. Gratia est radix; quia est quasi natura respectu illarum, tanquam suarum proprietatum: charitas est radix, vel causa moralis earum; quia tanquam regina virtutum, potest omnes actus aliarum virtutum imperare, & ad suum finem ordinare. Ad confir. distin. min. charitas facit nos sanctos causaliter. conc. min. formaliter. neg. min. & conf. ad prob. Resp. illi termini in charitate, vel significant charitatem Divinam, qua impellente DEUS homines elegit: vel, si intelligendi sunt de charitate creata habituali, significant, sanctitatem, & immaculatam vitam habendam in charitate, seu per charitatem, tanquam instrumentum præcipuum gratiæ.

277. Ob. 8. Tridentinum. sess. 6. c. 7. ait, formalem causam justificationis esse justitiam DEI, non quia ipse justus est, sed quia nos justos facit: exponens autem, quomodo nobis justificatio conferatur, ait, id fieri: *Dum ejusdem sanctissime Passionis merito per Spiritum S. charitas DEI diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur:* ergo supponit, quod forma justificans sit charitas. Confir. Idem Concilium statim subjungit: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fides, spes, & charitatem:* nec meminit gratiæ: ergo hanc sub nomine charitatis intelligit. Resp. neg. conf. Ut rectè Suarez. ait. l. 6. c. 13. n. 6. particula *dum* non significat identitatem, sed connexionem tantum; unde solum significatur, quod id formaliter fiat per ipsam charitatem: voluit autem, ut idem Eximius observat, Concilium uti termino *charitas* tanquam notiori, & magis certo; cum non sit certum, an præter charitatem distincta gratia infundatur. Ad confir. textus est pro nobis potius, ut explicatum. n. 266. unde. neg. conf.

278. Ob. 9. S. Augustinus l. 25. de Trinitate.

te. c. 18. ait de charitate: *Nullum est isto DEI dono excellentius: solum est, quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ:* ergo est gratia. Confir. Idem S. Doctor de natura, & gratia. c. 42. de charitate ait: *Ipsa est enim verissima, plenissima, perfectissimaque justitia:* ergo est etiam gratia. Similia habet aliis locis. Resp. neg. conf. S. Doctor ibi, ut patet legenti caput præcedens 17. num. & hoc ipsum 18. num. per charitatem intelligit charitatem DEI, scilicet non qua nos eum, sed qua ipse dilexit nos, ut expressè dicit. c. 17. additque, eam charitatem esse Spiritum S., quem probat dici quodque donum DEI, prout eum etiam vocat Ecclesia in hymno: *Veni Creator Spiritus:* ubi eum nominat *altissimi donum DEI:* quam charitatem etiam S. Doctor ait, facere, ut diligamus DEUM: ergo hic textus non venit ad rem.

Quod autem attinet ad illud dividere inter filios DEI &c. si etiam intelligeretur de habitu charitatis, responderi posset facile ex S. Thoma, qui. q. 27. de verit. a. 2. ad 6. ait: *Dicendum, quod hoc, quod charitas sola distinguit inter filios perditionis, & regni, convenit ei, in quantum non potest esse informis, sicut alie virtutes:* hoc est: dividit charitas inter filios &c.; quia ipsa, & etiam ejus actus, semper conjungitur cum gratia.

Ad confir. iterum. neg. conf. nam facile textus explicatur de justitia causali: quod ibi ad intentum S. Augustini sufficientissimum est; quia tantum ibi intendit probare, omnes homines peccasse: quamvis (ut ait, se omittere) forte potuissent non peccare, & habere charitatem DEI, quæ (ut subjungit) est justitia &c. Universim autem circa textus S. Augustini in hac materia notandum ex Suarez. l. 6. de gratia. c. 13. n. 7. S. Doctorem sæpè loqui, non de charitate habituali, sed de actu ipsius, qui est excellentissimus inter omnes actus virtutum: estque verissima justitia actualis, & dispositivè distinguit inter filios DEI, & filios diaboli: ex quo patet nova responsio, ad textus etiam supra adductos. Si autem probaretur, S. Augustinum aliquando loqui de charitate habituali, tunc in eo casu omnia munera, vel effectus gratiæ, possent charitati habituali attribui; quia in hac providentia sunt inter se semper connexæ, sive, ut ait S. Thomas, quia charitas non est informis, sed semper informata gratiâ.

ARTICULUS III.

An Gratia sanctificans sit composibilis cum peccato mortali.

279. Dico. 1. Gratia sanctificans opponitur ex natura sua peccato mortali. ita S. Thomas. 1. 2. q. 117. a. 2. in corp. (ubi gratia habitualis ut sanans ab ipso dicitur esse operans, & non cooperans: hoc est, ut se explicat, habet se tanquam forma seipsam communicans. non verò tanquam causa alicujus effectus.) Suarez. l. 7. de grat. c. 12. n. 3. & communis Thomistarum, ac nostrorum, contra Sconistas. Prob. Tridentinum sess. 6. c. 7. sic ait: *Demum unica formalis causa justitiae*

justificationis est *justitia DEI*, non qua ipse *justus est*, sed qua nos *justos facit*: hæc autem *justitia est gratia*: ergo gratia est unica causa formalis justificationis: atqui non esset talis causa, nisi saltem naturaliter, sive extrinseca exigentia sua, & non tantum ex ordinatione, vel lege DEI extrinseca, opponeretur peccato: ergo prob. min. causa formalis justificationis ex natura sua debet opponi cum forma impediens justificationem, sicut e.g. albedo ex natura sua opponitur nigredini in eodem subjecto: sed peccatum est forma, vel quasi forma impediens justificationem: ergo.

Confir. 1. Quod causat alicujus destructionem per modum causæ formalis, seu, quod idem est, per modum formæ, causat eam per suam impossibilitatem in eodem subjecto cum re destructa, ut patet inductione: sed gratia causat destructionem peccati per modum formæ: ergo. Confir. 2. Concilium Tridentinum ubique entitati gratiæ, & non voluntati DEI adjunctæ, tribuit effectum remissionis peccati: nec est ulla ratio, ob quam non in sensu obvio, & literali, verba illius accipiantur: ergo debet dici, quod ipsa entitas gratiæ sit, naturaliter saltem, opposita peccato gravi, prob. 1. p. ant. Concilium sess. 5. can. 5. docet, per gratiam, quæ in baptismo confertur, remitti reatum originalis peccati. & sess. 6. c. 4. definit, justificationem esse translationem à statu injustitiæ ad statum filiorum DEI, & in hunc finem explicat plura Scripturæ testimonia. Nec est paritas à sacramentis, quorum materiæ, & formæ, non causant, nisi ex institutione, vel ordinatione Divina; nam de his semper Concilia, & Ecclesia, docent, ea causare, quatenus sunt instituta à Christo: nihil simile dicunt de gratia. Accedit, quod sacramenta non causent, tanquam causæ formales, sed tanquam causæ, vel physiciæ, vel morales. Confir. 3. Forma, quæ hominem constituit ex natura sua filium DEI, & heredem regni cœlestis, utique ex natura sua opponitur alteri formæ, quæ hominem constituit filium diaboli, & reum pœnæ æternæ: sed gratia est forma constituens filium DEI, peccatum grave est forma constituens filium diaboli: ergo.

280. Addendum hæc, Lorcam, qui admittit, quod gratia formaliter expellat peccatum, tamen voluisse, ista duo pro aliquo instanti simul existere: sed malè; nam expulsio unius formalis non exigit coexistentiam expellentis, & expulsi, pro eodem instanti: sed tantum exigit existentiam expulsi pro priori instanti, & expellentis pro posteriori; nam expulsio formalis aliud non est, quam positio formæ in subjecto, quæ forma impossibilis est cum priori: & sic expellitur formaliter peccatum in instanti, in quo physice non est, sed tantum fuit, in instanti immediatè antecedenti: sic mors expellit vitam, quin simul existant; alias enim simul homo esset vivus, & mortuus, quod esset valde mirabile. Unde coexistentiam istam tantum requirit expulsio effectiva, seu radicalis, sive quando unum producit aliquid, ex quo sequitur pro posteriori instanti expulsio formalis: sic vulnus lethale est expulsio radicalis effectiva vitæ, & existit cum vita: sed

R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

ex vulnere tantum sequitur pro sequenti instanti mors, quæ sit expulsio formalis. Si dicas: igitur expulsio formalis non est stricta expulsio: facis quæstionem de nomine contra communem, in qua nos malumus cum pluribus loqui.

281. Dico 2. Gratia sanctificans non opponitur metaphysicè cum peccato mortali, sed supernaturaliter potest cum hoc esse in eodem subjecto. Ita Suarez l. 7. de gratia. c. 19. n. 14. & c. 20. n. 6. & 36. Gormaz de gratia sanctificante n. 37. Oviedo tract. 8. de justificat. contr. 4. punct. 3. Tannerus Tom. 2. disp. 6. de gratia q. 5. dub. 3. n. 57. Arriaga Tom. 4. de gratia disp. 46. sec. 14. subsec. 2. n. 21. (ubi ait, hanc esse communioem) aliique plurimi, ab his citati. Huic conclusioni, si non favet, certè non est contrarius S. Thomas; licet enim dicat, gratiam non tantum demeritoriè, sed etiam physice opponi peccato, per hoc tamen non est nobis contrarius; quia admittimus physicam oppositionem formalem, qualem habet calor cum frigore: sed non metaphysicam, qualem habet mors cum vita.

Quando etiam S. Doctor dicit 2. 2. q. 24. a. 10. in corp. peccatum effectivè destruere gratiam, necdum dicit aliquid nobis contrarium; quia potest peccatum ab effectu suo physico impediri: quamvis, cum peccatum non videatur habere effectum physicum, à se distinctum, S. Doctor etiam per effectivè nihil aliud videatur intelligere, quam non tantum moraliter, sed physice, quasi diceret, quod gratia destruat peccatum, non tanquam forma tantum moralis, sed physica: imò Vasquez ait, formalem expulsionem ab authoribus etiam quandoque appellari activam, seu effectivam. vide Oviedo. tr. 8. contr. 4. punct. 3. n. 43.

282. Prob. conclusio. Gratia non opponitur contradictoriè cum peccato actuali, aut habituali; quia neutrum stat in privatione gratiæ, ut probatum. tr. de peccatis a. n. 27. & 238. nec etiam opponitur ita contrariè, ut sit metaphysica impossibilitas; quia hæc oppositio metaphysica nulla ratione potest probari, adeoque gratis asseritur: ergo. Confir. Tridentin. sess. 6. c. 7. distinguens inter se partes justificationis, etiam distinguit inter se remissionem peccatorum, & sanctificationem, seu gratiam; nam ait de justificatione, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem, gratiæ, & donorum. Moguntinum etiam citatum n. 266. distinguit veniam peccatorum à gratia: ergo peccatum, & gratia, contradictoriè non opponuntur. Quod etiam claret ex eo, quod in statu puræ naturæ, nec peccatum, nec gratia, necessariò data fuisset; cum tamen unum ex contradictoriis semper necessariò existat.

Quod autem gratia etiam non habeat metaphysicam contrarietatem cum peccato gravi, videtur probari ex eo, quod videantur se habere ad invicem, sicut formæ aliæ contrariè oppositæ, e.g. albedo, & nigredo, calor intensus, & frigus intensus, gaudium summum, & tristitia summa, quæ saltem supernaturaliter possunt conjungi: certè major oppositio non probatur; cum tamen adversarii, eam affirmant.

X

tes

res, etiam probare teneantur; neque enim nego, hanc conclusionem potissimum nisi argumento negativo, & eminentiâ omnipotentia Divinâ, cui non, nisi ob magnas rationes, negari debet potentia conservandi unum cum altero, sicut etiam unum sine altero.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

283. **O**B. 1. contr. 1. conclusionem.

Natura Angelica, utpote substantia spiritalis, perfectius participat naturam Divinam, quàm gratia, quæ est tantum accidens: & tamen illa est naturaliter compossibilis cum peccato: ergo & gratia. Confir. Juxta nos peccatum haberet connexionem cum gratia ut expellenda, vel, ut dicunt, expellibili: sed nihil naturale potest habere connexionem cum gratia supernaturali: ergo. Resp. 1. hac ratione nec unio hypostatica, nec visio beatifica, excluderent peccatum, quod est falsum. Resp. 2. neg. ant. cum S. Thoma 1. 2. q. 110. a. 2. ad. 2. ubi ait, gratiam, in ratione participationis naturæ Divinæ, esse perfectiorem animâ: quidquid sit, an anima, vel Angelus, absolute sit perfectior, de quo est controversia, & Suarez. l. 6. de gratia c. 13. n. 12. ait, hoc sibi esse incertum. In forma neg. ant. & etiam conf. vide de hac participatione plura n. 264. ex quibus discas, magis gratiam, quàm Angelum esse participationem naturæ Divinæ. Ad confir. retorq. argum. Igitur peccatum etiam connexionem habebit cum unione hypostatica, & visione beatifica, atque actus hæresis cum fide, quæ sunt absurda. Quare forma una non habet connexionem cum altera, quam expellit, sed habet oppositionem naturalem. In forma. neg. ant.

284. Ob. 2. contra 2dam. conclus. Illud non est causa formalis, quo posito in subiecto non indispensablem sequitur effectus formalis: sed juxta nos, stante gratia, non sequitur infallibiliter effectus formalis justificationis, sive, quod homo sit justificatus, si scilicet DEUS supernaturaliter, stante gratia, conservaret peccatum: ergo. Confir. Gratia non sanctificaret hominem, nisi concurrente aliquo favore extrinseco DEI, quo hic saltem nolit conservare peccatum: ergo. Resp. neg. maj. aliàs nec gratia sanctificans esset formalis causa filii adoptivi; quia, eâ posita in Christo, non sequitur filius adoptivus. Unde, ut sæpè diximus, maxime in tract. de DEO n. 790. ad denominationem non tantum requiritur forma, sed etiam capacitas subiecti, quæ aliquando consistit in aliquo prædicato, quod si absit, denominatio non datur. sic e. g. Angelus, quia deest ei materialitas, quamvis ei uniretur albedo, non denominaretur albus. Aliquando verò stat ea capacitas in absentia alicujus prædicati, quo præsentem denominatio excluditur. sic e. g. in Christo, quia adest filiatio naturalis, non potest gratia (quamvis sit forma, aliàs denominans filium adoptivum) etiam Christum denominare filium adoptivum. Sic autem etiam denominatio justi exigit absentiam peccati,

quod quando adest, non potest gratia denominare justum.

Est tamen diversitas inter formas naturaliter oppositas: quædam ita opponuntur, ut naturaliter quidem simul esse nequeant: attamen, si supernaturaliter conjungantur in eodem subiecto, tribuant ambas denominationes: sic in Christo summum gaudium, & summa tristitia, supernaturaliter conjuncta, eum denominant summè tristem, & summè gaudentem. Aliæ formæ ita opponuntur, ut non possint simul denominare, ut filiatio adoptiva, & filiatio naturalis: pariter amicitia, & inimicitia, justitia, & peccatum, seu injustitia; quia aliquando subiectum, ut sit capax denominationis, exigit absentiam alterius, aliquando non exigit: aliquando una forma prævalet ita alteri, ut eam non sinat suam denominationem dare subiecto: aliquando non ita prævalet: quod vel ex ipsa natura denominationum, vel ex communi Auditorum sensu desumendum est.

285. Ad confir. dist. ant. gratia non sanctificaret hominem, nisi concurrente aliquo favore DEI extrinseco, quem tamen gratia exigit. conc. ant. quem non exigit, neg. ant. & conf. Neque talem favorem excludit Tridentinum; nam sess. 6. can. 11. duntaxat eos damnat, qui dicunt, gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem DEI, quod nos nec à longè dicimus: imò Oviedo tract. 8. de justificat. contrav. 4. punct. 2. n. 71. ex his Tridentini verbis vult inferre, hoc Concilium potius admittere talem favorem. Addo tamen ex Gormaz de grat. n. 47. quod, licet admittatur necessarius aliquis favor DEI extrinsecus, nihilominus tota forma justificans sit gratia; quia remissio peccati, quatenus dicit puram negationem, non est forma justificans (certè in statu puræ naturæ potuisset dari sine omni justificatione) sed tantum est conditio, sine qua forma non potest tribuere denominationem: decretum etiam DEI, nolentis conservare peccatum, est tantum causa inferens tam gratiam, quàm negationem peccati: neque etiam ipsum est forma justificans, sicut decretum inferens albedinem non est forma dealbens, & decretum DEI, volentis pluribus conferre filiationem adoptivam, non est forma denominans filium adoptivum. Addo insuper ex Oviedo loc. modo citato, gratiam, per suam naturam, absque aliquo favore extrinseco, in actu secundo tribuere omnem rationem positivam, quæ requiritur ad hominem justum denominandum: negativam verò rationem tribuere in actu primo, seu exigere autem hæc detur in actu secundo, requiri adhuc voluntatem DEI remittentis peccatum.

286. Dices. 1. Si calor posset uniri subiecto, quin denominaret calidum, non esset unica causa formalis calidi: ergo juxta nos gratia non erit unica causa formalis justificationis. Resp. dist. ant. si posset uniri subiecto capaci. conc. ant. subiecto non capaci. neg. ant. & conf. si calor uniretur Angelo, non denominaret calidum, etsi calor sit tota, & unica forma concreti calidi; quia Angelus immaterialis est incapax hujus denominationis. An id possit fieri, non disputo: si non potest huic, vel simili subiecto incapaci, calor uniri, hoc ipso datur

tur disparitas inter ipsum, & gratiam; quia hæc potest uniri subiecto incapaci suæ denominationis, ut patet in Christo.

287. Dices. 2. Ex eo, quod calor, & frigus, possint uniri eidem subiecto, inferitur, quod calor tantum sit causa formalis concreti positivi *calidi*: non autem concreti negativi *non frigidi*: sed hujus tantum sit causa moralis, scilicet exigens à DEO destructionem frigoris: ergo, si etiam gratia, & peccatum, possint uniri eidem subiecto (quo casu gratia non denominaretur justum, sed tantum exigeret, ut DEUS destruat peccatum; cui tamen exigentiæ se DEUS non accommodaret) tunc gratia non erit causa formalis concreti *justi*, sed tantum causa moralis: hoc est contra Tridentinum: ergo. Resp. neg. ant. non enim inferitur ex illo, sed ex hoc, quod forma denominans illius concreti negativi *non frigidi*, debeat esse pura negatio, qualis calor non est: concretum autem *justus* est denominatio positiva, cujus forma, seu causa formalis potest esse gratia.

Fateatur autem ipse Haunoldus, quamvis nobis contrarius l. 2. tr. 3. n. 681. posse aliquo modo dici, Tridentinum tantum locutum fuisse de eo, quod est requisitum positivum ad justificationem, non de eo, quod est negativum. Hoc tamen admitto, gratiam non esse formam concreti *non peccatoris* pure negative accepti; quia hujus concreti pure negative accepti, & non prout accipitur pro positivo justo, forma est negatio peccati: unde etiam in statu puræ naturæ fuisset non peccator sine gratia: & in alia providentia, in qua DEUS supernaturaliter conservaret peccatum cum gratia, daretur peccator cum gratia. Interim tamen gratia formaliter expellit peccatum, non tanquam forma contradictoria, sed tanquam contraria, quam rem fusiùs explicavimus tr. de peccatis. n. 262.

288. Dices. 3. Pars formæ equinæ divisibilis non est tota forma equi: ergo nec gratia est tota forma justi. Resp. om. ant. (quia posset distingui inter equum essentialiter, & integraliter acceptum) neg. conf. Pars illa formæ non informat omnem materiam substantialiter complebilem, nec est totum positivum, quod requiritur ad complendum materiam totam, & integram equi: at gratia informat totam animam, estque totum positivum, quod requiritur ad justificationem: remissio autem peccati non est forma; sed expeditio subiecti, ut dictum n. 285.

289. Ob. 3. ex Haunoldo. Gratia est signum supernaturale, & quidem ex intrinseco suo predicato, affectus amicus DEI, exclusivi peccati: ergo cum illa debet semper dari ille affectus DEI, qui necessario secum fert remissionem peccati; aliàs esset signum falsum, quod repugnat signo supernaturali; quemadmodum actui fidei repugnat, esse falsum. Resp. 1. retorq. argumentum. Sacramenta etiam sunt signa supernaturalia gratiæ, & tamen, si fictè suscipiantur, non conferunt gratiam; quia sunt tantum signa sub conditione, quod omnia alia adsint. Et ne dicat adversarius, sacramenta tantum esse signa ex institutione, & non ex intrinsecis predicatis: aliud exemplum est in caractere e. g. Ordinis, qui est signum po-

testatis sacerdotalis. Hic character manet in anima separata, quin ista habeat amplius potestatem consecrandi: imò nec sacerdos damnatus in inferno post diem judicii habebit eam potestatem, quamvis sit iterum totus homo. An ergo est signum falsum?

Dicit, characterem tantum significare potestatem in certis circumstantiis: idem & nos possumus dicere de gratia, scilicet eam significare amicabilem affectum DEI in certis circumstantiis, scilicet quando DEUS non vult supernaturaliter ejus exigentiæ contravenire: quod quidem non faciet in hac providentia, posset tamen facere in alia. verbo: gratia est signum, tanquam causa supernaturalis, exigens quidem hunc effectum, sed non indispensabiliter. In forma distin. ant. gratia est signum pro omnibus circumstantiis, etiam alterius providentiæ, neg. ant. pro certis tantum circumstantiis, alligatus huic providentiæ. conc. ant. & neg. conf. Paritas cum actu fidei est nulla; quia, cum ille sit assensus locutioni DEI præstitus, & ei essentialiter innixus, debet pro omni providentia esse verus, sicut ipsa locutio.

ARTICULUS V.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

290. Ob. 4. ulterius. Si potest gratia stare absolute cum peccato, etiam poterit cum isto stare unio hypostatica, vel visio beatifica: hoc est falsum: ergo. Confir. Possibilis est gratia metaphysicè incompossibilis cum peccato: ergo probabiliter ista est talis. prob. conf. nulla erat causa, cur DEUS non produxerit potius gratiam incompossibilem, quam composibilem cum peccato; cum aliàs tamen nunquam sit componenda: ergo. Resp. 1. retorq. argum. Si gratia potest destitui per peccatum, tunc etiam unio hypostatica, vel visio beatifica. Resp. 2. neg. conf. Unio hypostatica est longè altioris ordinis, & non tantum per modum causæ formalis, sed per modum principii necessariò excludentis, opponitur peccato: & esset per se indecentissimum, si natura, DEO intimè unita, tamen non esset ei amica, sed DEUS esset actualis, vel habitualis peccator, ac odio habitus à DEO.

Visio beatifica etiam non tantum, sicut gratia, est exigentia ad amicitiam DEI, cujus effectus possit supernaturaliter suspendi: sed est ipsa actualis possessio, fructio DEI, & hereditas filiorum, quam non potest DEUS dare suo inimico, & quem adhuc odio habeat; videtur enim per se absurdum, hoc vel cogitare. Sanè visio est summa communicatio bonorum DEI factæ creaturæ, & familiaritas DEI, ac ostensio benevolentiae suæ, atque amoris, quæ non stant cum inimicitia &c. nihil tale occurrit in gratia; unde ab uno non est paritas ad alterum; aliàs etiam dicam, quod, sicut gratia potest impediri, quod minus faciat filium adoptivum DEI, ita etiam possit impediri unio hypostatica, ne homo assumptus fiat DEUS.

291. Ad confir. neg. conf. Ratio est ipsa libertas Divina, & omnipotentia, cui non de-

bet præjudicari quoad hoc, quod possit unam rem, independentem ab alia, conservare, vel destruere pro libitu. Et quæso, cur adversarii non etiam dicunt, Angelos durare per durationem unicam indivisibilem; cum tamen DEUS velit illos spiritus semper existere? vel saltem, cur non dicunt, durationem quamlibet durare per plures annos, quales utique possibiles sunt? certè ratio alia non est, nisi quia DEUS debet pro libitu posse creaturam vel conservare, vel destruere quovis momento: sed ita etiam debet posse conservare gratiam. Sic DEUS potuisset etiam habitum fidei producere, qui naturaliter non fuisset composibilis cum peccato, non tamen talem produxit.

292. Ob. 5. Juxta nos differret inimicus DEI à non inimico per purum favorem extrinsecum: consequens videtur pugnare cum Tridentino: ergo. Confir. Aliquis effectus primarius assignari debet gratiæ, sine quo absolute esse non possit: sed nullus alius assignatur, quàm expulsio peccati: ergo. Resp. retorq. arg. ergo etiam filius adoptivus DEI, & non adoptivus DEI, differunt per puram negationem unionis hypostaticæ; nam, si Christus hanc negationem haberet, esset filius adoptivus. Sicut ergo adversarii debent respondere, quod tantum hic homo, Christus scilicet, differat à filio adoptivo per illam negationem, non verò alii homines (nam alii puri homines, quorum aliqui sunt peccatores, alii justi, & filii adoptivi DEI, non differunt inter se per negationem unionis hypostaticæ; hanc enim utrique habent; sed differunt per gratiam) ita nos quoque dicimus, hos quidem determinatè homines, qui habent gratiam, & simul peccatum, differre ab amicis DEI per purum favorem extrinsecum; non tamen communiter, & universaliter; quia communiter, & in hac providentia, semper differunt etiam per gratiam.

Ad confir. Resp. neg. ma. si enim sermo sit de effectu physico, non omnis forma debet esse activa: si sermo sit de effectu formali, non debet ullum tribuere, nisi subjecto capaci. Et quem effectum primarium naturalem habent accidentia Eucharistica, quando non sunt in subjecto? Potest etiam distingui maj. debet gratiæ tribui effectus; si sit in subjecto capaci denominationis, seu exigente eam denominationem, conc. maj. si non sit in subjecto capaci; neg. maj. & om. min. neg. conf.

293. Ob. 6. DEUS necessariò amat hominem instructum gratiâ, & necessariò odit existentem in peccato: sed implicat, quod DEUS hominem simul amet, & oderit: ergo. Confirmatur. Si duo concreta essentialiter sibi opponuntur, opponuntur etiam abstracta, seu formæ: atqui duo concreta justus & injustus, opponuntur sibi essentialiter: ergo & duo abstracta, scilicet gratia & peccatum. Resp. neg. maj. saltem, nisi DEUS velit prius naturâ remittere peccatum: Ad confir. retorq. argu. in concretis filii naturalis, & adoptivi, quæ sibi opponuntur in Christo, quin sibi opponantur abstracta, gratia & unio hypostatica, vel incarnatio DEI. In forma dist. maj. si illa abstracta metaphysicè post se trahant eas denominationes; conc. maj. si tantum naturaliter eas post se tra-

hant; neg. maj. & sic distincta min. neg. conf. si enim formæ istæ possunt esse, quin denominationem, ex oppositione denominationum malè infertur oppositio formarum.

294. Ob. 7. DEUS conservando peccatum cum gratia, faceret miraculum deturpativum naturæ: hoc non potest facere: ergo. prob. ma. tunc esset miraculum tale, quando privaret gratiam termino exigentiæ suæ, & nec illi, nec universo, faceret compensationem: sed hoc fieret in nostro casu: ergo. Confir. Sic DEUS esset causa conservativa peccati; hoc eum vel maximè dedecet: ergo. Resp. vel ma. vel mi. potest negari. Si per miraculum deturpativum tantum intelligitur, quod redderet naturam minùs perfectam, nego, DEUM non posse illud facere, seu neg. min. quis enim negat, DEUM potuisse mundum imperfectiorem condere? Certè, si condidisset omnes homines monoculos, nemini fecisset injuriam: imò etiam tunc tamen DEUS fecisset, quod est optimum juxta mensuram voluntatis suæ, quæ est regula omnis honesti, ut fusiùs exponi solet, *tr. de Incarnatione*. Si autem intelligitur per miraculum deturpativum illud, quod naturam redderet moraliter turpem, seu inhonestam, neg. maj. ad prob. dist. ma. in eo casu esset miraculum tantum reddens naturam aliquantulum imperfectiorem. om. ma. esset miraculum reddens naturam moraliter inhonestam. neg. ma. & sub ead. dist. conc. vel neg. mi. & conf.

Ad confir. neg. ma. Causa conservativa peccati non est illa, quæ non vult statim illud remittere, si præsertim ex justo titulo excusatur à remissione, aut destructione peccati: sed illa est causa conservativa peccati, vel offensæ, quæ peccatum commisit, & condignam satisfactionem non præstitit, ut diximus *tract. de peccatis, n. 251*. Neque DEUS, posita gratiâ, habet obligationem remittendi peccatum; est enim gratia naturaliter exigat destructionem peccati, potest tamen DEUS, tanquam supremus Dominus, ei exigentiæ se nolle accommodare, quin propterea inhonestè agat. Neque etiam, faciendo miraculum, id faceret intendendo existentiam peccati: sed tantum intendendo existentiam gratiæ, & permittendo perseverantiam peccati. Quem autem finem DEUS haberet hujus miraculi, etsi non sciamus, multi tamen esse possunt, e. g. demonstrare peccatori gravitatem peccati per oppositionem illius cum gratia in eodem subjecto: quod autem hic finis possit obtineri alijs medijs, non probat, quod non possit adhiberi etiam istud medium miraculosum, ut est per se clarum.

295. Ob. 8. Gratia sanctificans dicitur à Concilijs, & Scripturis, spiritus promissionis, quo signamur, ac unguimur, & pignus eternæ hereditatis: sed cum his non stat peccatum, seu reatus ad privationem hereditatis &c.: ergo. Resp. om. maj. dist. mi. cum his non stat peccatum, si sint in subjecto capaci, & expedito ad suscipiendam denominationem uncti, & signati, aut certificati de pignore &c. conc. mi. secus. neg. min. & conf. sicut enim gratia est amicitia, sanctificatio, justificatio &c. ita potest esse unctio, & pignus &c. si autem incidat in subjectum incapax denominationis, illud non

non faciet unctum, nec de pignore certificatum: quod autem peccatum sit cum unctione, & pignore, non est magis impossibile, quam quod sit cum sanctitate &c. Dixi. om. maj. nam per illud pignus aliqui intelligunt testimonium bonæ conscientie; alii ipsum Spiritum S. aliqui etiam gratiam, vide Cornelium in 2. Cor. 1. v. 22. & seq. item eundem in epistola ad Ephes. c. 1. v. 13. & seq.

296. Ob. 9. Gratia vocatur in Scripturis lux, & peccatum tenebræ: sed lux, & tenebræ nec metaphysicè possunt simul esse: ergo nec gratia, & peccatum. ant. prob. ad Ephes. 5. v. 8. ait Apostolus: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* &c. 2. Cor. 6. v. 14. *Quæ societas luci ad tenebras?* ergo. Confir. 1. Joan. 3. v. 9. dicitur. *Omnis, qui natus est ex DEO, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex DEO natus est:* sed hoc semen, & hæc natiuitas, est gratia: ergo cum gratia non potest quis peccare, adeoque gratia, & peccatum non simul stant. Resp. dist. ma. & per hoc à Scriptura tantum indicatur inter ista aliqua similitudo. conc. ma. indicatur identitas similitudinis, seu omnimoda paritas. neg. ma. & conc. mi. neg. conf.

Nec peccatum, nec ejus formalis malitia, est tantum pura negatio, ut fuscè probatum tract. de peccat. à n. 27. Neque peccatum, & gratia, contradictoriè opponuntur, ut lux, & tenebræ; cum in statu puræ naturæ utrumque abfuiſſet, & ante mundi creationem neutrum fuerit; unde non est inter ista identitas similitudinis, seu omnimoda paritas, sed tantum est aliqua similitudo, quæ stat in eo, quod lux subiectum capax illuminet materialiter, & gratia spiritualiter; quia hæc est splendor quidam, ut ait Catechismus Tridentini cit. n. 265. item, quod gratia in subiecto expedito expellat peccatum, sicut lux tenebras, non tamen omni eodem modo. Sic etiam dicitur gratia vitæ animæ, & peccatum mors, in hoc sensu, quod gratia, si anima sit capax, reddat eam viventem, & excludat mortem, non tamen omnino pari ratione cum vitâ physica; nam, quamvis etiam vitâ physica, & mors, non opponantur contradictoriè (cum ante mundi creationem nec vitâ, nec mors, data fuerit) sed tantum contrariè: opponuntur tamen contrarietate metaphysica; quia mors est negatio vitæ prius existentis, & vitâ cum negatione sui non potest simul dari.

Addendum hæc, quod, ut observat Gormaz, Patres, & Scripturæ has comparationes faciant, non cum gratia præcisivè, sed cum ea ut existente in hac providentia, in qua semper excludit peccatum; nam Apostolus in Epist. ad Ephes. & Cor. semper loquitur de fidelibus, & ad fideles, in hac providentia existentes. Ad confir. conc. totum. Homo, stante gratia, seu in sensu composito, non potest peccare (in sensu divisivo utique posset) non enim potest homo facere miraculum, & gratiam conservare cum peccato; potest autem DEUS, non quidem peccare: sed gratiam, stante peccato, conservare. Nec dicit S. Joannes, hominem non posse etiam de absoluta potentia DEI peccare: sed tantum ait, eum simpliciter id

non posse, quod verissimum est: sicut verissimè dicitur, hominem non posse volare, licet utique supernaturaliter id posset. Plures alias hujus textus explicationes vide apud Gormaz de gratia sanctificante. n. 54. in rem præsentem sufficit ea, quam modò dedimus.

DISPUTATIO III.

De Merito.

297. **P**ost Tractatum de Gratia Theologi tractant de Merito, & quidem aliqui valde copiosè; eo quod plures polemicas controversias misceant: nos, pro more Universitatibus regionum nostrarum consueto, paucioribus materiam hanc circumscribemus. Agemus autem de merito, prout hæc vox actum bonum significat; nam potest quidem meritum sumi indifferenter pro bono, & malo: & S. Augustinus vocabulo isto nonnunquam, præsertim de grat. lib. arb. c. 6. utitur ad denotandum peccatum: attamen communius accipitur in sensu bono; nam peccatum vocatur demeritum: & in hac quoque significatione nos hic agemus de merito, & quidem supernaturali.

QUÆSTIO UNICA.

De Essentia, Existentia, & Proprietatibus Meriti.

ARTICULUS I.

Quid sit, & an detur meritum supernaturale.

298. **D**ico 1. Meritum supernaturale est obsequium DEO factum, ex se potens movere ad retributionem doni supernaturalis: ita Oviedo tract. 9. de merito contrav. 1. puncto 1. n. 4. & in idem recidit definitio P. Gormazij de merito n. 3. atque in hunc sensum Theologi communiter, quin & Patres, atque Concilia, meritum explicant. Accedit etiam ratio; sicut enim in humanis, meritum naturale erga Regem, est obsequium factum Regi, & meritum respectu alterius, etiam est obsequium ei præstitum, potens movere ad remunerationem: ita meritum erga DEUM est obsequium ei præstitum &c.

299. Ut autem opus sit meritorium præmii supernaturalis, debet esse actus etiam supernaturalis, ut habetur ex omnibus illis Scripturis, & Conciliis, ex quibus probatur, quod nullus actus, prout oportet ad salutem, (per quem intelligitur omnis, sive de congruo, sive de condigno, meritorius doni supernaturalis, seu conducens ad salutem) elici possit sine gratia Spiritus S. de quo fuscè tr. de gratia. à n. 38.